


**Programma, In Funere Magnifici Academiae Rostochiensis Rectoris ... Dn.
Eilhardi Lubini, SS. Theologiae D. & Professoris ... propositam a Senatu eiusdem
Academiae, 5. Iunii Anno 1621**

Rostochi[i]: Pedanus, 1621

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756286484>


Druck Freier  Zugang





Uiac
orum
regium.

Vol. 241. (3.) <SON>



PROGRAMMA,
IN FUNERE
Magnifici Academiæ Rostochiensis
RECTORIS,
VIRI REVERENDI ET CLARISSIMI
DN. EILHARDI
LUBINI,

SS. Theologiæ D. & Professoris, nec
non Provincialis Consistorij Megapolitani
Assessoris meritissimi;

propositum

à

Senatu ejusdem Academiæ,

5. Junij ANNO 1621.



ROSTOCHI

Typis Joachimi Pedani, Acad. Typog.

SENATUS ACADEMIÆ
ROSTOCHIENSIS.



Orbata est his diebus Universi-
tas hac nostra RECTORE suo
Magnifico, Viro Reveren-
do & Clarissimo, EILHARDO
LUBINO, sacrosanctæ Theo-
logiæ Doctore, & Professore
Publico. Ofatum acerbum!
Cum Scipionis funus inaudisset Macedonicus,
quanquam à vivo opinionibus & animo dissen-
serat, tamen eo nuncio perterritus, in publicumq; pro-
gressus clamavit: concurrite cives! concurrite!
mœnia vestrae urbis collapsa sunt! Quid queramur,
aut quid taceamus, propemodum ignoramus. Est
quidem per exigua hac nostra Respubl. angustis ter-
minis circumscripta, angustijs autem maximis co-
arctata, majoribus certè, quàm quisquam cogitare
possit. Eam igitur suo rectore, tam cordato viro,
privatam esse intempestrua hac tempestate: meritò
dolemus: meritoq; jure exclamamus: expergisci-
mini cives Academia! expergiscimini! fundamen-
ta vestrae reip. tacta sunt! Nec enim factum id est,
quod quidem sciamus, post conditam hanc Acade-
miam,

miam, nisi secundo ejus seculo, cum mors eidem
eriperet Rectorem Dn. BARTHOLDUM MOL-
LERUM Theol. Doctorem, & Ecclesie Collegiate
Decanum, Anno 1530. die Gregorij. & post annos
quingenta, Virum Magnificum, Clarissimū &
Consultissimum LAURENTIUM KIRCHOVIUM,
fctum famigeratissimum. Quæ fuerint hanc
mortem consecuta Academia tempora: sunt, qui
adhuc meminerunt; non etiam nulli eorum recorda-
tione ingemiscunt. Nunc, cum sperabamus, Dei
opt. max. beneficio, Serenissimorum Ducum Me-
gapolitanorum, Dominorum nostrorum clementis-
simorum, nec non amplissimi inclute hujus Urbis Se-
natus pietate & auctoritate, magnorum & publi-
cissimorum virorum operâ, tertium Academiae Cente-
narium ingressis nobis affulsurum aliquod seculum,
si non undiquaq; aureum, certè tamen ab eo non
dissimile: ecce Rector & moderator Academiae
diem suum obit! Expergiscimini ciues Academiae
Aristocratici! sinite vobis velli aurem, & hanc
ipsam mortem nolite putare esse æmulum: licet causas
habentem suas! Natus enim quia erat homo, no-
ster Magnificus: denasci eum oportuisse, nemo no-
strum est, qui ignoret. Natus est autem EILHAR-
DUS LUBINUS anno 1565, die Mercurij, qui præ-
cedit dominicam Palmarum, 24. Martij, in oppi-
do Westerstede, quod est parochia quasi Metropo-

A 2 litana

litana Ammerlandia, Patre, viro admodum reve-
rendo & doctissimo FRIDERICO LUBINO, ibi-
dem Pastore, & matre, Femina spectatissima,
CATARINA Buningis. His honoratissimis pa-
rentibus orto Nostro Magnifico Natura, seu potius
Deus quatuor summa dederat bona, indolem opti-
mam, ingenij vim, memoriæ firmitatem, & ju-
diciij acumen. Quibus tanquam alis sub vectus per
omnes omnium scientiarum atq; laudabilium disci-
plinarum campos, quàm felicissimo cursu, sub præ-
stantissimis Præceptoribus, in Scholis & Acade-
mijs celeberrimis, cùm alijs, tum Lipsensî, Colo-
niensî, Helmstadiensî, Argentoratenst, Jenensî,
Marpurgensî, & hac nostra ita se penetravit, ut ad
summum ferè doctrinæ apicem perveniret. Nam &
præclare noverat eas artes, quæ humanitatis sunt
proprie; & in Græcis auctoribus ferè omnibus ad-
miraculum versatus, in ea lingua familiam duce-
bat: in latina cedebat nulli; excellens Poëta, ex-
cellens Orator. Quis ignorat, ij, qui Mathema-
tici, Astronomi & qui Geometra vocantur, quan-
ta in obscuritate rerum, & quàm recondita in arte
& multiplici & subtili & perplexa versentur? &
hoc quoq; in genere excelluit noster Magnificus.
Sed nec manus ipsius defuit agilitas & solertia fabri-
candi instrumenta, cœlestium rerum investigatio-
ni apta, aut describendi regiones, suis quàmq; limi-
tibus

109

tibus cinctam, oppidis & urbibus ornatam, pascuis,
agris, sylvis, campis, fluminibus, montibus distin-
ctam. Inter hac tanti viri dona eminebat Pietas
ipsius & eximia in rebus Theologicis peritia: in
qua quantum potuerit, non solum parietes, quos in-
tra, dum viveret, publicè privatimq; docuit, sed
etiam scripta ejus testantur. Latere enim eximia
hujus viri eruditio non potuit: sed eum primò ad
Poëseos, anno C. 1596; deinde ad Theologia profes-
sionem in hac Academia extulit: simulq; tum Do-
cturâ caput ejus incinxit. factum id est anno 1605.
die 23. Junij. Coluerunt autem & hunc virum
semper multi potentissimi Principes: coluerunt
eundem alij cum in alijs Academijs locisq; celebri-
bus, tum in hac quoq; nostra viri insignes, sic, ut
in arctissimam amicitiam eum quoq; reciperent.
Nam eodem anno, quo in Poëseos Professore fuerat
hic noster p. d. allectus, Excellentissimus ille Theo-
logus, D. LUCAS BACMEISTERUS, P̄s. & ōuua
hujus Academia, Viri Cl. & Consultissimi Dn.
LAURENTII PANCHLOVII, Juris D. & Pro-
fessoris, quorum memoria est in a. i. c. filia GERTRU-
DIS, filij sui, Reverendi & Clarissimi Dn. M.
JACOBI BACMEISTERI, lingue Hebraica in hac
Acad. Professoris, viduae nuptias ipsi conciliarit.
Quâ post septem annos extinctâ, Experientissimus,
& humanitate eruditioneq; clarissimus Dn. WIL-

A 3


HELMUS

HELMUS LAUREMBERGIUS, Medicus illustris,
cujus nomen est in benedictione, filiam suam CA-
THARINAM, omnium virtutum, quæ femineum ge-
nus exornant, decus; Clarissimorum virorum, PETRI,
apud inclitos Hamburgenses Physices, & JOANNIS,
apud nos Poëseos Professoris, fratrum Lauren-
bergiorum, Medicina Doctorum, sororem, con-
nubio junxit, anno, antequam Doctorum titulo
noster p. d. insigniretur: & junxit connubio verè
secundo. Nam cum ex prioribus nuptijs fuisset
ἀπαι: tum hoc secundo suo conjugio Rector noster
vidit progenitos sibi novem liberos, FRIDERICUM,
WILELMUM, EILHARDUM, JOANNEM I,
JOANNEM II, PETRUM, CATHARINAM,
JOANNAM SOPHIAM, & AGNETAM: ex qui-
bus JOANNES primus, & ex filiabus dua postre-
ma, ordine natura in verso, patrem antecesserunt:
reliqui sunt in vivis, & cum mæstissima matre
patrem optimum, immatura sibi morbe creptum,
mæstissimi lugent: visurus etiam decimam prolem
si aliquantisper supervixisset. Cætera moribus fuit
honestus, sermone gravis, vultu modestus, vitæ
sanctus: pater benignus: maritus φιλόστοργος; erga
cognatum sanguinem pius: amantissimus juven-
tis discendi cupida, studiosorumq; studiosissimus:
in rebus inveniendis acer, in memorandis firmus
& expeditus, judicandis acutus: in Academia di-
gnitate


gnitate tuenda magnanimus: in dicenda veritate
intrepidus: vir verè Aristocraticus. Talem ergo
Rectorem Nos, talem Doctorem pulpita, talem
ei vram Academia, talem maritum conjunx, paren-
tem liberi, amicum cognati, Praeceptorem schola
haec regia, patronum clientes, qui ipsius fidei & di-
sciplina erant commissi, hoc uno LUBINO amisso,
amiserunt. Sed Deo nostro ita visum fuit, ut im-
missa feбри quartana virum hunc nobis hoc tempore
auferret. Invaserat haec ipsum 8. Sept: anni su-
perioris: & initio levicula, saepeq; postea visa fuit
agroteo spem facere decessionis, cum aliàs, tum
eo tempore, quo Magnificus à Nobis, ratione ordi-
nis & vi statutorum fuit electus. Fefellit tamen
& nos & ipsum spes nostra. Ad Solstitium enim
aestivum propius accedente Phoebus, invaluit febris,
& virum hunc praestantissimum, se ad & Avacium
& felicem hinc migrationem quotidie preparantem,
de pasta mortis tandem tradidit die hujus mensis se-
cunda. Emigravit itaq; ex hoc mundo pie & pla-
cidè: & nunc in caelestem Academiam translatus,
ibi coram Agno quietè vivit, docentem auditurus
in a viterna secula eum, quem hic professus est,
Dn. nostrum Christum. Quo ipso se sustentabit
& eriget afflictissima vidua, cum maestissimis li-
beris: nec dubitabit, quin habitura sit cum suis
Deum

Deum Patrem & judicem. Fient autem beato
huic viro exequia hodie hora media prima in templo
vicino cathedrali: quas ut omnes omnium ordinum
hujus Academia cives, Professores, Doctores,
verbi divini ministri, Magistri, nobilissimi &
ornatissimi studiosi juvenes, adeoque omnes nostri
ceterus amantes, haud gravatim eant; Deoque Sere-
nissimorum nostrorum Principum, Ecclesia, Rei-
publ., Academia hujus, graviter hac morte vulne-
rate, Urbis hujus amplissima, omnium denique no-
strum salutem & incolumitatem ardentibus preci-
bus suppliciter commendent: omnes & singulos ro-
gamus, monemus & hortamur. P.P. sub sigillo
Academiae 5. Junii 1621.









the scale towards document

Image Engineering - Scan Reference Chart TE263 - Serial No. 09A
Patch Reference numbers on UTT

ges ac Principes sæpè attoniti audivere : Sua-
 eminentis vim , non secus ac Demosthenici
 petum imperij Proceres sæpè sensere. De
 s non tantum privati, sed & publici partibus,
 inis forma, de religionis purioris vindicijs,
 libus rectè instituendis, litium prolaxis telis
 ad publicam salutem conservandam necessa-
 ovellorum nostri ævi, novas Utopias somni-
 lut alter Sulpitius, studio, usu, experiètiâ, &
 sed & archivis actisq; publicis haustâ scientiâ
 planè lepore differebat. Deniq; Encomio Lucij
 storû disertissimû & oratorû jurisperitissimû
 t. Accedebat naturalis cum decenti venustate
 ta gravitas, in divino cultu pietas, in homini-
 s, in negocijs expediendis dexteritas, in adver-
 peris continentia, in fortunæ instabilitate
 quâ bonæ conscientiæ scuto munitâ, omnes
 umniarum, invidiæ & livoris ictus ac morsus
 repulit. Aulicis negocijs gravibusq; causis
 & occupatissimus fuerit, semper tamen
 in respexit, ejus ut quondam alumnus, ita
 as defensor, imò & excultor perpetuus fuit.
 oz. viro consultissimo Joanne Albino, pandectarum Pro-
 bente, eidem in officio susceptus & in collegium Juridici
 us fuerit; præstitit se quoq; in hac vitæ statione fidum
 siones crebræ, publicæ curæ & molestiæ, eum aulicos &
 iri & Labeonis Jcti exemplo annum quasi cum labori-
 quibus tamen cum sensu nimis irretiri & aulæ astringi
 caria viri consultissimi Christiani Obmichij J. D. exitij,
 demicum sibi creditam, luculenter fœneravit. Virtuti-
 n adversus affectuum motus, & adversitatum impetus
 mavit, seq; invictum reddidit : ast à morbis corporis se-
 otius quò animo fortior, eò semper fait corpore debiliore
 um in itinere quodam officij ratione suscepto, correptus
 ti initio typum tertianæ simplicis gessit, ita non multò
 sentavit, & in ædis inducijs indultis, majori paulò post
 ruans, incrementum sumpsit, in quartanam degenerans,
 Accesserunt lienis & mesaræi obstructions, & quart-
 poles scorbutus, perennis itidem à capite ad fauces & pul-
 alcens indelinens tussis, cujus vehementia, venula pul-
 monum